Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Dissert. 38
Be [Stck 1-13]

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Dissertation. Vol. 38.

1/ J. T. Müller, de examine testium.

2/ De majori personar. illustrium ætate /: fol. tit. deest./

3/ J. M. Schneidt, jus et obligatio prohibitionem librorum positivam concernens.

4/ L. Winkelmann juris elementa enucleata.

5/ germania deplorata. &c

6/ J. H. Boecleri /subpræs:/ C. H. Morawitzky, sacrum roman. imperium.

7/ Edict Johann Wilhelms, d. d. Düsseld. 1705. Die Freiheit der Religions-Confessionen betr.

8/ F. C. J. ab Ehrthal, de differentia decimarum ecclesiasticar. et sæcularium. &c

2 9/ J. Heis, de libello alternativo. &c

9a) Koerten Joh. Jac.: de officio iudicis.

10/ Ejusdem Heis: de usufructu.

11/ C. Pesgen, excursus ad § ult. inst. de usucap.

12/ J. J. Koerten, progressus in utroq. jure de variis materiis.

13/ J. H. Nalbach, decas collationum et differentiarum juris comm. et statutarii Trevirensis

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

DISSERTATIO
JURIDICO - ORDINARIA
DE
EXAMINE TESTIUM
AD PERPETUAM
REI MEMORIAM.

QUAM

UNA CUM SELECTIS POSITIONIBUS

ADJUVANTE DIVINO NUMINE

IN

ALMA ET ANTIQUISSIMA ELECTORALI PALATINA

UNIVERSITATE HEIDELBERGENSI

PRAESIDE

JOANN THADDÆO MÜLLER, U. J. D.

SERENISSIMI, AC POTENTISSIMI ELECTORIS PALATINI CELSISSIMI REGIMINIS CONSILIARIO EJUSDEM UNIVERSITATIS PANDECTARUM PROFESSORE PUBLICO, ET ORDINARIO.

AMICE DISPUTANDAM SUBMITTIT

NICOLAUS NELLE

Confluentinus,

IN AULA ACADEMICA NOVI WILHELMIANI

Ad diem 3 Octobris. A. R. s. MDCCLXXIV.

HEIDELBERGÆ,

Typis. Joan Jacobi Hæner, Typographi Aulico - Academici.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Dissert. 38

„*qui veritatem occultat, & qui prodit mendacium, uterque reus*
„*est: ille, quia prodesse non vult; iste, quia nocere desiderat.*„

S. AUGUSTIN. *De Agon. Christ.*

—— *Ambiguæ si quando citabere testis*
incertæquæ rei, phalaris licet imperet, ut sis
falsus, & admoto dictet perjuria tauro,
summum crede nefas animam præferre pudori,
& propter vitam vivendi perdere causas.

JUVENALIS *Sabgr.* 8.

LANDES- UND STADT-BIBLIOTHEK DÜSSELDORF

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

DISSERTATIO
JURIDICO - ORDINARIA
DE
EXAMINE TESTIUM AD PERPETUAM REI MEMORIAM

§. I.

Quid & quotuplex probatio.

Actum, quo judicantis ſenſui intentionem, exceptionemque reddimus aut certam, aut quodam in gradu probabilem, dici *probationem*, eamque in *plenam*, *minus plenam*, hanc vero pro alio atque alio probabilitatis gradu in *ſemiplena minorem*, *ſemiplenam tantum*, *ſemiplena majorem* dividi, a modo autem quamvis probationis ſpeciem denominari vel *artificialem*, vel *inartificialem*, ſive quæ fit adverſantis confeſſione, delato jurejurando, ſcriptura ad facti, reique fidem confecta, *teſtibus*, ſcholis & foris eſt tritiſſimum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

II.

Modus probandi per testes omni alio prior esse videtur.

Hunc ultimum probandi modum â prima judiciorum origine usu venisse, quis negabit? priores nostri, germani plus testibus, quam tabulis crediderunt. VADIAN apud GOLDAST. *rer. Alam. tom.* 3. *pag.* 42. 67. imo documenta viva falaci animalium pelle, aut ligno negotiis ad posteros referendis olim adhibito sunt priora, solaque mortalitas, atque secuta oblivio, rerum, jurium, jacturæ parens, & actus & testes actibus præsentes membranæ tandem ad perpetuam posthumis reliquendam probationem esse imprimendos docuerunt, morem tamen sine scriptura per solos testes probandi non abrogarunt.

III.

Transitus ad thema.

Et quia de probatione judiciali loquimur, regula obtinet: *lite non contestata, aut saltem non mota, non sunt testes recipiendi. cap.* 1. 4 *ut lit. non contest. cap.* 54. §. 1. *de Elect. cap.* 62. *de appellat. cap.* 19. *de Iud. L.* 13. *cod. de Iud. L.* 8. §. *fin. cod. quomodo & quando, authent. sed & si quis cod. de testib.* Reces*s. Imp. ann.* 1654. §. 35. arbitrio actoris quidem relinquit, an statim Libello probationes addere, an in termino probatorio vel post litem contestatam hoc officium peragere velit. saltem oblatio libelli, adeoque ex parte actoris lis cæpta requiritur. Iudiciorum est regula: non debet causa prius instrui, quam inchoatur. productio testium fit probationis causa, igitur in regula negata intentio, atque sic Lis contestata supponitur. Maneat regula! Sed in sua ratione, ubi nempe actionem movere in libero creditoris est arbitrio; ubi metus aut præsentissimum in mora periculum, aut ra-

rationabilis aliqua causa non est; ubi probationis copia fortuitis casibus non subtrahitur. quid de Reo? Ubi futuram sibi litem vel suspicatur vel videt subdole differri actionem, cur non liceat probationis interitum impedire? I de actore, II de reo examen hoc testium extraordinarium supplicante agemus.

IV.

Probatur ex jure sacro generatim.

Innocentius III, antea Lotharius anno 1198 in Pontificatum adsumtus primum Romæ, dein Parisis, tandem Bononiæ in superioribus scientiis super Coetaneos eminuit teste AUTORE *Gestor apud* BALUZIUM; hic summus Pontifex plurimarum Decretalium dator & regulam superiorem, & exceptiones a regulâ per aliam regulam dedit Actori in *cap* 5 *ut Lit. non contest. cap.* 4. *de confirmat util. vel inutil. reo in cap.* 41. 43. *de testib. & attestat* unde & jus palatinum *tit.* 18. *ord. jud. infer.* §. 6. *tit.* 21. §. 14. 15. *ordinat. Iud. aul.* desumptum esse videtur.

V.

Unde originem hoc examen desumpsit?

Provocat quidem S. Pontifex *cap.* 4. *de confirmat util.* ad jus civile; sed vix vestigia, si a fictâ Litis contestatione, contumacia abstrahamus, invenimus. *L.* 40. *ff. ad L. Aquil.* Paulus ait: "in Lege Aquilia si deletum „chirographum mihi esse dicam, in quo sub conditio„ne mihi pecunia debita fuerit, & interim testibus quo„que id probare possim, qui possunt non esse eo tem„pore, quo conditio extitit, & si summatim re exposita „ad suspicionem adducam, debeam Vincere, sed tunc „condemnationis exactio competit, cum debiti conditio

„extiterit: quod si defecerit, condemnatio nullas vires „habebit„ casus est: debentur mihi centum ex contractu conditionali; pendente conditione debitoris dolo aut culpa chirographum super hoc negotio confectum est deletum. quærit ICTUS utrum agere possim & vincere non exspectato conditionis eventu? ratio dubitandi est: nondum subest damnum: Conditione pendente creditori sola debiti spes competit. L. 36. *in fin. ff. de reb. cred.* L 54. *ff. de verb. signif.* quia dolo aut culpa debitoris deleteum est chirographum, ex sententia Pauli possum agere & Vincere sub eadem conditione: creditor conditionalis testium mortalitatem timet; deleto chirographo, humatis testibus deficit probatio. æquissimum est, judicem actionem admittere, probationem vivam audire, sententiamque ferre. egit; probavit creditor; Lis igitur contestata supponitur in actione Legis Aquiliæ. idem mota actione furti docet idem PAULUS *in L.* 32. *ff. de furtis. Nov.* 90. *cap.* 9. *& Authent. sed & si quis cod. de testib.* nihil de examine extraordinario statuunt; litis ante contestationem testes recipi, ne verbulo probant; adversarium vocari, & præsentem esse volunt. Adeo ignotum juri civili videtur hoc examen, ut ULPIANUS *in L.* 3. § 5. *ff. de Carbon. Edict.* dilatam nolit motam impuberi de hæreditate & statu controversiam, si testimonia tempore peritura præsumebantur. Glossatorum juris civilis opinio ansam dedisse sacro Nomothetæ nobis videtur; & sane in *cap.* 5. *ut Lit. non contest* ad jus Civile non amplius provocat propria & justissima potestate statuens.

VI.

Ratio Summi Poutificiis generalis

Hoc in *Capit.* 5. S. Pontifex rationem subjungit omnibus relatis exceptionibus Generaliorem: *ne veritas occulte-*

tetur, & probationis copia fortuitis casibus subtrahatur. pone Debitorem rescripto moratorio donatum; pone absentem; pone forum declinantem. Habemus ea, quæ probationem, forte interim perituram, differunt. Supponamus debitum in diem, aut conditionale sine literis coram solis testibus contractum, his vero fatum imminere. An actori, rigido processus ordine servato probandi copiam auferamus? deficientem modo, aut impeditam agendi facultatem, æque ac rei fugientis, absentis, latitantis, forum declinantis, Litis contestationem protrahentis moras insonti actori nocere, qua justitia patietur imploratus judex? ratio *capituli* favet: observata testium qualitate, eorundem examen admittit.

VII.

Ex eodem rationis fonte profluit, Lite etiam instituta, imo & pendente appellatione, si periculum sit in mora, idem licere: quid si testes in termino producendi, modo de vitâ, aut juxta effatum Medici de usu rationis periclitentur? quid si ex officio, aliaque necessitate cogente non exspectato termino sint abituri? quid si de neglecto appellationis fatali, & contra hujus lapsum restitutione in integrum prævie disputetur? hosce casus ratio, constitutionis anima, evidenter comprehendit. Germanis certitudinem facit *concept* **Verbesserter Cammer Gerichts-Ordnung ann.** 1614 3 **Theil tit.** 20. §. 14. in Verbis „und demnach dieser Zeit wegen der „grossen Menge und überhäuften Sachen die gerichtliche „Processe ganz verzüglich gemacht, die Partheyen und „Procuratores zu ihrem hochnöthigen Beweißungen, son„derlich zu Abhörungen ihrer Zeigen fast langsam kom„men, ja etliche viele Jahr daran verhindert werden, da-

Unde lite etiam pendente quandoque hoc Examen admittitur.

hero

„hero erfolgen kann, daß immittels die alte, erlebte, und „schwache Zeugen mit Todt abgehen, dardurch die Par„theyen, so etwan Sachen haben sich derselben Verlust „zu befahren, derohalben verordnen wir, daß die Procu„ratoren, da ihre Principalen alte oder schwache Zeugen, „deren Absterben zu besorgen, vorzustellen hätten, der„wegen um commission ad futuram rei memoriam auf „benannte, unverdächtige und sonsten qualificirte zu „Commissarien; neben Eingebung ihrer probatorial Ar„ticul auch Nahmen, Alterthüm, Schwachheit, und „ander requisiten, so bey den Zeugen in solchen und an„deren in rechten sonderlich versehenen fällen nöthig, eti„am Lite jam instituta & pendente, ungeacht, daß man „hernacher ordinaria Via zu Beweisung gelangen mag, „suppliciren, und solche Supplicationen nach der Audienz „coram Deputatis vorbringen mögen„ idem jam habet *Recess. Imp. an.* 1600 §. 132. „Es sollen auch Commissi„ones ad perpetuam rei memoriam Lite instituta & pen„dente, non obstante daß man hernach ordinaria via „zur Beweisung gelangen möge, zugelassen und dem ar„bitrio judicis, was hierinnen nach befundener Gestalt „und Gelegenheit der Sachen zu erkennen, heimgestellt „seyn„ Confer. BLUM. *process. cam tit.* 73. §. 49. 50. Si remoræ & secutura ex iis amissio probationis justa nostri testium examinis admittendi sint causa, cur aliud in casibus a nobis relatis statuatur, non videmus. exempla Decretarum ab augustissima Imperiali camera ad futuram rei memoriam in causis appellationum GYLLMANN *tom.* 3. *symph. foren.* recenset.

VIII.

Si testes senes, & quinam sunt senes.

Ait S. Pontifex generaliter: *„nisi forte de morte testium timeatur*, & primo loco ponit *Senes*. hi spectato tem-

temporis, & mortalitatis ordine immortali sæculo sunt viciniores. Sed quinam *senes* dicuntur? hoc loco non de tutela, curatela, munere publico, nec de solis honoribus agitur; igitur jus justinianeum utiliter, aut directè hic vix decidit. Si territorialia nihil definiant placita, Senectutem prudentiæ judicis pro quavis hypothesi dijudicandam relinquimus. *Caput.* 5. *cit.* non tam annos numerat, sed citius, serius metuendum mortis periculum considerat: *nisi forte de morte testium timeatur.* mortalis natura variat: teste experientia non est eadem omnibus corporis fabrica; non eadem habitudo; non idem virium vitæ numerus; ante diem alii, vix quarta alii ætate senescunt. Pro Praxi communi nobis accedit BLUM *cit. tit.* 52. pro sua tamen camerali nempe Praxii ait: „in „Camera quinquagenarii pro senibus reputantur, & pro „testibus ad perpetuam rei memoriam admittuntur. „GAIL *Lib.* 1. *obs.* 92. *n.* 7. Ius nostrum Palatinum *cit.* „*Loc.* habet.., **mit hohem Alter beladen**„ ast quænam sit illa ætas, non definit, atque ideo ejus ætatis determinatio juxta testis subjecti naturalem conditionem justo judicis arbitratui relicta esse videtur.

IX.

Senes sequntur & *valetudinarii.* jus palatinum habet **mit schwerer sorglichen Krankheit.** Concept. **verbessert KammerG Ordn.** *cit.* §. dicit **schwache Zeugen.** Quid autem & quis Morbus hisce terminis significatur? non unius generis est morbus, nec idem effectu in quolibet corpore est idem. non numero tantum lanceam a lancea, fusum a fuso distingni, fata ostendunt. Prudens piusque Iudex adhibito, si opus sit, experti Medici arbitratu hic iterum cognoscit. Valetudinarii & quinam tales.

X.

X.

debilitati. His accedunt ex *Cap.* 8. *de testib. et attestat.* debilitate confecti. hæc debilitas multiplex morbus est: organa officiis suis non funguntur; prostratum est corporis robur, nec spes salutis, nisi plane anceps apparet; non ergo debilitatem ex prævio quidem, sed sanato morbo ortam, redeuntibus successive viribus desinentem intelligimus.

XI.

puerpera, & prægnans. Utramque, & prægnantem, & puerperam esse sanam *L.* 2. §. 4. *ff. si quis Caution. L.* 14. §. 2. *ff. de edilit edict.* statuunt, *si modo nihil extrinsecus accedit, quod corpus ejus in aliquam valetudinem immittat.* imbecillitas, quæ juxta naturam evenit, morbus non est. Distingui tamen nostra ex sententia debet puerpera sine mortis periculo, virium & moris causa recumbens â prægnante: illa nihil amplius timet; partum sana edidit; extrinsecus, seu supponimus, nil morbi advenit; examen igitur ad perpetuam rei memoriam idcirco admittendum non est: Dispositio & ratio *cap.* 5. *cit.* cessat. prægnans hæc omnia timet; timet & hoc teste probaturus: experientia docet, multas doloribus cessisse; non nullas non exspectatus gravitatis eventus extinxit: De morte testis timetur; hæc ad examen, de quo loquimur, est admittenda. Dubium hic movet LEYSER *spec.* 14. *Med.* 1. excusans Mulierem per aliquot menses uteri gestantem, jurare detrectantem, a præstando testium juramento, quia metus in mulierculis, præsertim delicatioribus partui nocere posset, & quia excusatur prægnans, si judicio te non sistat *L.* 2. §. 4. *ff. si quis caution.* igitur huic autori excusatur quoque, si jurare nolit. Verum sine certa lege testimonii dicendi

di & jurandi necessitas *in L.* 16. *cod. de testib.* imposita remitti non debet in dispendium justitiæ. vanus est atque superstitiosus ille metus. CUJACIUS *cit. L.* §. 4. particulam *non* non adeo inepte addit. denique plus inde non probatur, ac in judicio comparendum non esse mulieri. Cum MEVIO *part.* 5. *decis.* 80. sentimus: "id vero ju„dicis arbitrio relictum est, ut conditionem gravidæ con„sideret, & si quid in ea est, cur aut dilationem exami„ni qua ipsam præbere aut Domi examinari sinere debe„at, de eo pro ut rationabile id reperit, statuat„

XII.

Pergit *cap. vel absentia diuturna.* jus palat. *cit. loc.* **auch da sie an ein ander entlegen Ort zu ziehen oder sonst fern zu reißen wegfertig.** ex rationabili causa de his timetur: possunt hi testes abesse, dum dies venit, conditio existit, actio efficax competit, atque sic lite contestata probatio deficeret, ni testes ante discessum ad futuram probationem audiantur. quænam absentia sit diuturna iterum quæritur. Ad aram justitiæ & hic confugimus, cujus sacerdos personis, negotiis, cæteris circumstantiis, indole actionis vel natæ vel nascituræ bene pensitatis arbitrabitur: de jure supplicantis conservando agitur, metuendum ex itinere periculum, præjudicium consideratur. Quid ubi paucorum dierum est iter, ast per loca insidiis plena? quid ubi militiæ agendæ causa a republica evocentur subditi? quid si iter fiat per loca peste infecta? serenissimus legislator palatinus *loc. cit.* sic statuit: **oder in schweren, sterbenden auch Kriegsläufften also daß zu besorgen, man mögte die nicht alle wege gehaben.** Quid quando dies aut instat aut venit, debitorque in jus vocatus litis contestationem differre Abituri.

conatur? testes etiam vix diu abfuturos recipi oportet: causa in termino probari non posset.

XIII.

Quid pestis et contagionis tempore.

Hucusque exempla retulimus. *capit.* decisionem ad ea nequaquam restringit, sed ceu fundamentalis regulæ: *ne veritas occultetur, & probationis copia fortuitis casibus subtrahatur. & alii testes, de quibus ex aliqua rationabili causa timetur.* Species enarravit. Unde id, quod legislator Palatinus expressit, in regula *capit.* continetur; grassante igitur in testium domicilio peste aliove mortales enecante contagio examen hoc conceditur: mixta senum, juvenum densantur jam funera; mors ætatem non respicit, quid judex hoc tempore rationem senii habeat? *de morte testium prudenter timetur.* Addimus *famem* omnium ætatum homicidam; addimus *funestum* sævientis in homines igne & ferro Martis *furorem.* Imo quoties justa ex causa petitur examen testium, ad normam *capit.* est admittendum.

XIV.

Ex indole causæ contra contumaces examen decernitur.

Proponuntur & causæ, quæ sua ex indole, quin de morte testium timeatur, contra contumacem non modo hoc examen, sed & ubi ex eo fiunt liquidæ, definitivam sententiam exigunt. Constituentis S. Pontificis est ratio, *ne propter longam moram in spiritualibus & temporalibus patiatur Ecclesia læsionem. add. cap. 4. de Elect. & Elect. potest in 6TO vel viro sive mulieri fornicationis occasio præbeatur,* cum propinquitatis gradus opponitur lege divina prohibitus. Validitas Electionis ecclesiasticæ, matrimonii contracti aut contrahendi huc pertinens est quæstio §. 1. *cap.* quid ubi de contumacia non constat? aliud & aliud disponit. *capit.* con-

confer. *cap.* 8. *de dol. & contum. cap.* 41. 58. 70. §. 3. *de Appellat.* hæc quia ſpectant ad forum eccleſiaſticum, latius non evolvimus.

XV.

Ante, quam ultra progredimur, nodum advertimus: ait S. Pontifex: *cum civiliter eſt agendum.* Admittit proinde huic examini locum eſſe ſive ex feudo ſive allodio, imo etiam ſi ex delicto, dummodo *civiliter* agatur. Quid ſi *criminaliter?* in proceſſu inquiſitorio teſtes admittit absque litis conteſtatione: „ſunt & alii caſus ſi„militer ſpeciales in quibus absque litis conteſtatione le„gitime poſſunt teſtes produci, ut quando exceſſuum in„quiſitio vel teſtium publicatio imminet facienda„ §. 2. *capit.* & *cap.* 8. *de dol. & contum.* de accuſatorio ſilet capit. unde plurima ictorum Pars negat hoc examen accuſatori. alia & alia ratione pugnant: hi urgent argumentum a contrario deſumptum *ex hoc capit*; iſti probationis luce meridiana clarioris exigentiam opponunt; volunt alii, quia, ubi de fama, membris, vita agitur, exactius procedi debet; rationem alii in favore executionis poenarum ad reipublicæ ſalutem quærunt; ultimi accuſatori imputant, quod non maturius egerit. Diſplicet hæc, communiſſima, licet ſit, opinio. Præterquam, quod hodie proceſſus accuſatorius, ut ut in articulis carolinis permittatur, rariſſimus ſit, quod ipſam attinet probationem, ab inquiſitionibus non differat, Ubique ad contemnandum probationes requiruntur luce meridiana clariores; in utroque proceſſu de fama, membris, vita hominis agitur, cur major in uno ac in altero requiratur probatio? cur in inquiſitorio audiantur teſtes ad perpetuam rei memoriam, non in accuſatorio proceſſu? uterque favorem publicum,

Sed an in criminalibus locum habet?

ut malis hominibus purgetur Provincia, intendit. Criminales causæ majori solicitudine agi debent; nihil in iis negligi, aut quidquid ad probationem facit, omitti debet. Quid si in accusatore nulla sit mora? delinquens fugit, latitat, per contumaciam abest. *confer. nov. 9. cap. 9. cap. 2. de testib.* de processu accusatorio non agit Pontifex, quia minus ad forum ecclesiasticum pertinet; nullum igitur est argumentum a contrario desumptum. & licet probari non possit hoc capit. 5. rescriptum esse, quo speciali quæstioni aut consulenti respondere voluit S. Pontifex, in aliis tamen stringunt rationes a MEVIO *part. 4. decis. 238. part. 8. decisi* 470 allatæ. miramur KESSIUM *in Not. ad art.* 65. fateri, neminem MEVIO satisfecisse, confitenter tamen scribere:„ „interim in processu accusatorio usus forensis certus est, „quod testes in perpetuam rei memoriam non admittan„tur„ quin tamen disparitatem solidam inter hunc & inquisitorium processum adferat. CLARIS. CHRISTOPH KOCH *instit. jur. crim. edit.* jen. 1770. §. 841, hoc examen in Processu inquisitorio, instruendam inquisitionem generalem, reique defensionem excipiens simpliciter negat. sed contra *cap.* nostrum, & quem ad probandum adducit, CLARISS. HENNING. BOEHMER. &, quid si testes in inquisitione generali *unde sciant* interrogati respondeant, se, id nempe homicidium, ejusque auctorem dolophonem ex ore Petri, Pauli, Jacobi percepisse, imo hos invasionem totamque lugubrem historiam se vidisse, narrasse? latitet; absit; ignoretur per aliquot lustra dolophon, an judex examen suspendat, donec nominati testes æternum dormiant? habeatur dein copia auctoris & inopia probationis! salva inquisiti vel accusati exceptione adversus personas & dicta testium a delinquente proban-

da,

da, ſalvaque omni defenſione pro officio judicis teſtes eſſe examinandos, rationes ſupra relatæ nobis perſuadent. Aliud omnino eſt, judicium in ordine ad contemnandum abſentem continuare, & aliud probationes futuras non negligere, prius repugnaret *L. 5. ff. de poen.* poſterius nequaquam.

XVI.

Quid in caufis pignorationum aliisque ſummariis?

Quid in caufis pignorationum, aliisque ſummariis? in pignorationibus *ord. jud. cam. P. 2. tit.* 22. mandato S. C. locum facit, nec ante, quam re reſtituta auditur pignorans. *receſ. Imp. ann.* 1654. *§.* 139. præcipit, proceſſum pignorationis celerrime peragi, cauſas pignorationis una cum exceptionibus ſub vel obreptionis proponi, ita ut in utroque mandati ſeu paritionis, & cauſalium ſive citationis effectus ſimultanei proceſſus, licet non ſemper ſimultaneæ deciſionis habeatur. quemadmodum itaque judicium *uti poſſidetis* inſtituere, teſtes ac inſtrumenta producere pignoranti licet, commiſſionem ad perpetuam rei memoriam decerni, negat BLUMM *proceſſ. cam. tit.* 32. §. 97. Nos modeſte recedimus. I. idem. BLUM *tit.* 1. *§.* 17. *Proceſſ. cam.* refert. „in cauſis ſummariis pro„ceſſus juxta illarum naturam ac ſtilo judicii conformiter „inſtituendus, inque eo duntaxat ſummarie, ac quam celer„rime procedendum. Quamobrem his cauſis termini „alias in ordinariis præfigi ſoliti ad dimidietatem abbre„viari debent, *quæ abbreviatio tamen hodie ferme nunquam „obſervari, ſed termini æque longi in cauſis ordinariis at„que ſummariis præfigi ſolent, ut ſic inter utrasque quoad cele„ritatem proceſſus vel nulla vel admodum exigua differentia „ſit.* II. indubitatum eſt omnibus, in hoc mandati pro„ceſſu requiri, ut actor pignoratus ſit in poſſeſſione ejus lo-

ci

ci vel juris, in quo & cujus respectu facta est pignoratio, eamque possessionem aliquo modo probare debet, ne alias pignoratus via hac extraordinaria, quam non habuit, consequatur possessionem, quamque ordinario jure vix unquam esset consecutus, contra æquissima Statuum monita *recess. imp ann.* 1654. §. 138. quid si reus neget actorem, adfirmet vero se in plena, solitaria possessione consistere, idque argumentis prolatis judici probabile saltem faciat, ut judex sub termino legali, qui in cammera trium mensium esse solet, actori replicas injungat, interea vero de morte testium, probatione peritura prudenter timeatur? ab imperio nondum est decisa quæstio, an Reo excipiente, & in puncto mandati, & in puncto causalium juris pignorandi argumenta proferente, actor in causa mandati tantum replicare, punctum causalium, donec plena paritio facta sit, differre possit, exceptionibus in puncto mandati non rejectis? *cit. Imp. recess.* §. 139. separat quidem decisionem in puncto paritionis a decisione in puncto causalium, sed sub conditione: *si in puncto paritionis causa sufficienter sit instructa.* Nunquid tantus est sæpe nexus exceptionum in utroque puncto, ut unum sine alio definitive decidi non possit. illud: *pignoratus est spoliatus; igitur ante omnia restituendus* sub eadem conditione est capiendum. Debet reus causas pignorationis in primo termino sub præjudicio seu impositione perpetui silentii *vid. cit. recess.* §. 81. 139. & quidem nervose proponere, quod videlicet in possessione vel quasi tali sit, jus pignorandi habuerit, & etiamnum habeat, nihil autem juris pignorato ibidem competat; debet, quod sequitur, factum suæ possessionis colorare, testes nominare, ad quid hæc, si actor ad ea respondere non debeat, nisi repignorata plene restituta? pignorator in puncto causali-

um

um hac lege jubente actoris vires subire tenetur, atque ideo ceu actor necessarius, non voluntarius favore dignus dicitur MEICHSNERO *tom.* 1. *lib.* 1. *decisione* 32. cur non respondeat in puncto mandati actor? quis favor actoris in puncto causalium, si debeat pignorato omnia restituere? ante, quam hic cogatur respondere? pignoratus hoc in puncto faventem non habet imperii legem. Concedamus, pignoratum in puncto citationis non cogi ad replicandum, non facta restitutione, an non hoc ipso fit mora in puncto citationis? cur pignoranti non liceat periculum perituræ probationis, mortem testium valetudinariorum prævenire?

III. quid si reus neget pignoratum immediatum esse, neque notoria sit hujus immedietas, mora vero probandæ immedietati necessaria testes periclitari faciat? causæ summariæ in *clement. II. de judic.* relatæ, add etiam *clement. II. de verb. signif.* hoc testium examen admittunt fatentibus omnibus: S. Pontifex in his nec libellum nec litis contestationem saltem solennem desiderat. in aliis summarissimis sui saltem informandi causa testes admittit judex lite etiam non contestata, nec vocato reo: nullæ opponuntur exceptiones. vid. COTHMANN *lib.* 1. *respons* 20. *N.* 27. MODEST PISTOR *cons.* 51.

XVII.

Examen hoc testium judicialem esse actum, inter omnes convenit; nec minus certum: *acta coram judice incompetente probant nihil. cap.* 4. *de judic. L.* 7. *cod ne de statu defunct. L. ult cod. si a non compet. jud.* si enim nec confessio coram judice incompetente facta probet, quid valebit hoc examen testium? actor forum rei sequi debet; judex rei in regula competens est; ad hunc litis futuræ cognitio pertinet; huic causa probanda

Quid de judice hic observandum?

da venit. Hic ubi examen negaret, moraretur, favente lege imperii nostri *ord. cam. P.* 2. *tit.* 1. *§.* 2. *& tit.* 26. Superiorem implorare licet. Dixi in *regula*: quid, si de competentia fori disputetur, ad superiorem provocetur, de devolutione controvertatur, dispendii probationis periculum enascatur? periculo hoc apparente judex *a quo*, quin attentatum committat, hoc examen decernit. poterit idem statuere judex *ad quem*. II. quando judicis competentis copia non habetur, v. g. missus in longinquas terras rapinam, naufragium, aliumve casum fortuitum ab ipso suo mandanti probandum patitur, judex illius loci testes audit, Protocollum indigenti impertitur. Imo quoties ad forum competens accessum negat necessitas, & in mora periculum, ab incompetente judice competens hoc examen suscipi potest: necessitatis id jubet favor; præcipit juris & justitiæ ratio; MEV. *consil.* 45. N. 94. *& citati ibidem*, LEYSER *specim* 283 *Med. ult.* Notarii judice ad id non constituti Protocollum admittunt, si testes fato extincti non possint amplius a judice repeti *arg. leg.* 20. *cod. de testib. cap.* 50. *eod.* cur judicis licet incompetentis sit minor in casu necessitatis autoritas? Notarium pro casu imminentis testium funeris, & deficientis copiæ judicis admittunt omnes: evidens ubi æquitas urget, actus sustinetur *L.* 83. *ff. de reg. jur. L.* 8. *cod. de judic.*

Hoc examen a judice submandari potest.

Iudex ordinariis quandoque vix sufficit negotiis, universitas causarum ubi mandata est, ad hoc igitur extraordinarium examen alium aut alios substituere valet *L.* 16. *cod. de testib. L.* 18 *cod. de fid. instrum. nov.* 90. *cap.* 5. *cap.* 3. *de off. & potest judicis deleg. cap.* 27. 62. *de appellat. concept.* verbes. Cang. Ord. 3 Th. tit. 20. §. 17. idem non modo evidenter supponit, *sed arg. recess. Imp. ann.* 1654. §. 47. supplicans commissarios nominat, nominatos sibi

ſibi nec juramento officii, nec ſubjectionis, nec landtſasſiatus, aliove nexu devinctos, aut aliunde ſuſpectos eſſe apertis debet exprimere verbis.

Noſtro in palatinatu, quantum liquet, arbitrio judicis relinquitur, an nominatum, aut nominatos, vel alium aut alios pro re nata conſtituere, examen committere velit, modo munere publico commiſſarius clareat, nec ſuſpicione laboret. Arcana ſupplicantium praxis eſt, qua libello nominant nullum, furtivis vero precibus judicem inducere conantur, ut clam nominato aut nominatis negotium demandetur. Debet quoque judex concedere notarii adjunctionem *receſſ. imp.* 1654. §. 52. hoc ſi in ordinario teſtium examine, cur non in hoc extraordinario? ſervanda inter utramque partem æqualitas, ne conjectura moveatur aliquid in illius, contra quem commisſio data eſt, præjudicium aut fraudem actum eſſe. adjunctus hic virum bonum juſtum a partium ſtudio vacuum agat, ſi commiſſio contra contumacem decreta, omittitur quidem reſervatio juris adjungendi *receſſ. deput. anni* 1600. *§.* 134 142. *concept.* **verbeſ. Camerg.** *part.* 3. admittitur tamen ultro deſignatus. Imo MEVIUS part. 3. deciſ. 110. quovis tempore ſaltem pro eo ſtatu, in quo cauſa eſt, adjungere concedit. Si commiſſarii ex officio conſtituantur, utrique parti notarium addere licet. BLUM. *in ſentent. cameral. N.* 339. atque adeo in cauſis litigioſæ poſſeſſionis, & omiſſa adjungendi copia, admittitur talis adjunctus ceu tradunt juris cameralis interpretes.

Sed quid in cauſis Auſtregarum? ex jure imperii hoc examen dupliciter inſtituitur I. ante litem ceptam II. lite jam conteſtata. Fundamentum ex memorialibus viſitationum ann. 1570, 79, 80, 95, & receſſ. deput. ann. 1600 deſumptum, & concept. **verbeſ. Cammerg. Ord.** *part.* 3.

An & in cauſis ad forum auſtregale ſpectantibus a judice ſecundæ in-

stantiæ committatur.

3. *tit.* 20. illatum est. Utriusque tamen unicus est finis, interitum probationis impedire; unicum utriusque fundamentum in periculo, quo resistitur *cit. tit.* 20. §. 14. & 16. utrumque non est nisi præparatio ad futuram probationem; neque ad processum vel mandati vel citationis vel appellationis refertur. Supplicans servandæ probationis causa hanc commissionem petit; & judex, an adsint requisita petitæ commissionis, tantum cognoscit; quid ni locum habeat in causis ad forum austregale pertinentibus? salva huic foro manet causa ipsa sive principalis litis futura discussio & decisio. posse augustissima imperii tribunalia in causis ad forum austregale respicientibus commissiones ad rei memoriam, concurrentibus requisitis, decernere, communissima cameralistarum est doctrina vid TEXTOR *ad recess. imp. ann.* 1654. *dissert. de process. in causis simplicis querelæ* §. 57. MYNZINGER *cent.* 1. *ob.* 18. GAIL *lib.* 1. *obs.* 93. Illustris CRAMER *Wetzlar.* **Nebenst** 74. **Theil.** 7 **Abhandlung** §. 11.

XVIII.

Quid agendum supplicanti extraordinarium hoc examen.

Oratorem causam allegare oportet: extraordinarium petit; necessitatem ostendere, & narrata colorare debet. *recess. imp. ann.* 1654. §. 79. debet pars adversans regulariter posse dignoscere, quid in sui præjudicium agatur, & quid jure suo opponendum. Designari testium nomina, ætas, aliave in cap. 5. huic examini locum facientia debent; articuli eidem sunt offerendi, **neben Eingebung ihrer** probatorial-**Artikul, auch Nahmen, Alterthum, Schwachheit** §. 14 *cit. tit.* 20. causæ omnes in cap. 5. adprobatæ non desiderantur: potest una v. g. senii, valetudinis sufficere. plures tamen adducere licet, queis forsan facilius commis-

sio-

ſionem impetrabit: ſeorſim una ſorte judicem non movet, movebunt conjunctæ. Iure imperii *cit. tit.* 20. §. 15. ante quam petita commiſſio decernitur, adverſario petitionis copia ſub termino 14. dierum vel ad ſummum unius menſis, precibus pro prorogatione ceſſantibus, ſolique judici permiſſa dilatione ad excipiendum conceditur. Denominatis commiſſariis exceptiones non nimis generales & in continenti probabiles opponere licet *cit. tit.* 20. §. 4. ultra replicas vero progredi negatur. **KammerG. Ord.** *P.* 3. *tit.* 16. §. 2. BLUM *Proceſſ. camer. tit.* 67. *N.* 62. ex *concept.* **verbeſ. Kammerg Ord.** *P.* 3. *tit.* 14. *§.* 8. docet, in cauſis omnibus non reparandum damnum inferentibus ſine admiſſa cautione de rato confeſtim procedi, vel terminum brevem ad mandatum ſub proclamatis cominatione præfigi: ſaltem hic omnes ob periculum in mora ambages ſunt præſcindendæ *cit. tit.* 20. *§.* 15. unde quando veroſimiles commiſſarii recuſandi rationes prolatæ ſi ſint, ſtatim alius eſt conſtituendus.

Ex *concept.* **verbeſ. KammerG. Ord.** *tit.* 20. §. 15. 16. 17. obſervatur, quodſi commisſio extrajudicialiter petitur, ob præſentiſſimum in mora periculum, commisſionem periculo impetrantis decerni: pars altera & abeſt & non audita. in judicialibus adverſarius auditur, excipere & contra commiſſarios ſua monere eidem eſt liberum. poſſe tamen archidicaſterium ad partis inſtantiam, ad audiendos teſtes non adeo remotos, commiſſarios nullis exceptionibus implicatos ex officio nominare ex **KammerG. Ord.** *P.* 3. *tit.* 16. §. 4. eruitur. poſſe & plures nominari commiſſarios habiles, ut conjunctim vel diviſim dentur, ſi moræ, verſutia, caliditas adjuncti me-

tuantur, Praxi imperii non repugnat: oculi plerumque plus, quam oculus vident, detegunt, præcavent.

XIX.

Quid de causa aut causis?

Iudex summatim cognoscat, an causæ adlatæ probabiliter demonstratæ ex genere earum sint, ut hoc examen decerni jure debeat. facta hac cognitione determinet. in camera varius est interloquendi modus pro varia contingentium indole. exactam causæ aut causarum probationem ipsa hujus negotii, moræ periculum prævenire conantis indoles non desiderat. ob probationis favorem in dubio potius deferatur petitis quam negetur commissio: clausulam *periculo impetrantis* si judex addat, & monet petentem, ne inanes sibi sumtus faciat. si plures causæ quarum altera vera, non videtur altera, pro parte commissio decernitur: pone & senes & juvenes proponi examinandos, senum admittit, juvenum quandoque abnuit examen judex. Articuli *salvo jure impertinentium* citra adversarii præjudicium admittuntur: futuræ causæ momenta ignorantur, quî potest articulorum re aut irrelevantia expendi?

XX.

Quid decreta commissione impetranti faciendum?

Impetrans commissionem, decretum redimat; commissario insinuari curet: veritas precum, ut hoc mature fiat, suadet. per annum impetrans, si hæc omittat, decretum concidit, aliudve est rogandum. *recess. imp. ann.* 1594. §. als ferner Zweifel. si redemit; si insinuavit, culpa, mora impedimentum commissarii non nocet impetranti. solus anni lapsus commissario non officit, quo minus post annum negotium peragere possit. Lex prohibens non habetur; argumenta *L. 2. cod. de divers. rescript. cap. 9. & 23. de rescript.* favent.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

XXI.

Commiſſarius eum, contra quem decreta commiſſio, advocet *cap.* 41. *de teſtib.* & ex ratione *cap.* 5. *ut lit. non conteſt. ne forte hoc procuret in fraudem.* facillime ea, quæ contra ignorantem aguntur, in damnum innocentis evenire poſſunt. unde regula: *receptio teſtium adverſario non citato non valet*: "ecce admonendus eſt ſemper adver„ſarius, ut ad audiendos teſtes veniat; quod, quia hic o„miſſum eſt, neceſſe eſt, ut, quod contra legem actum, non „habeat firmitatem *cap.*2. *de teſtib.* & *cap.* 41. *eod.* "et ſuper „denunciatione ſic facta confici facias publicum inſtru„mentum. modus citandi juxta cujuslibet territorii aut legem, aut conſuetudinem, aut ſtylum curiæ obſervatur. Praxis Imperii tabulario utitur citationem inſinuante. dictum *regula*: quid ſi adverſarii copia haberi non poſſit? ſi præſens periculum dilationem & moram neget? ſi æquitas exceptionem ſuggerat? citatio remittitur: quomodo in terris remotisſimis caſu adflictus, teſtes examinandos petens, citationem inſinuet? ubi teſtibus mors jam in labiis moratur; ubi adverſarii potentia prudenter reformidatur. MEV. *part.* 8. *deciſ.* 471. præclare pro hisce caſibus ait, paria eſſe, aliquid factum eſſe, & fieri non poſſe, quia impoſſibilitas excuſat, & remittit faciendum. Suppleat jam judicis pietas, prudentia, juſtitiæ officium, agat partis non citatæ partes; perfungatur diligentia in indaganda veritate; ex officio interrogatoria formet; exceptiones contra perſonas & dicta teſtium prudenter inquirat. poſſe judicem examen jam inſtituere, jubet capitulum 5. *ſeu pars conventa ſit abſens.* quid ſi compareat, citatus exceptionem ſub, vel obreptionis opponat, atque oſtendat? deſiſtit commiſſarius. Si citatus commiſſarium dicat ſuſpectum, provocetque ad committentem, ſubſtans peri-

Quid commiſſario faciendum?

periculum morituræ probationis appellationi non facit locum, ſed examen peragitur: pugnat pro his commisſionibus probationis favor; adverſario ſalvæ reſervantur exceptiones contra perſonas & dicta teſtium atque examinis modum *cit. tit.* 20. §. 19. **verbeſ. KammerG. Ordn.** *P.* 3. ſi citatus contumax ſit, examinantur teſtes *cap.* 5. *cap.* 2. *de teſtib. Novell.* 90. *cap.* 9. ſit autem hæc citatio ut pars adverſa videat jurare teſtes, ut dare, ſi velit, interrogatoria posſit, unde quod jam ſemel dictum articuli cum directorio & denominatione teſtium adverſario ſimul ſufficiente ſub termino transmitti debent. *jur. palat. cit. loco* in extraordinario hoc eadem, quæ in ordinario teſtium examine, a judice ſunt obſervanda. ſi dolo aut culpa teſtem ſuper interrogatoriis non examinaverit, poſt publicatum rotulum teſtes ſuperſtites repeti poſſunt *cap.* 48. *in fin. de teſtib.* peracto examine dicta teſtium clauſa, ſignis obſirmata judicio adſervanda inferuntur, donec ſuo loco & tempore producens ea petat, in vim præſtiti juramenti ſilentium imponitur. *confer. utrumque titulum juris palat. Concept.* **verbeſ Kammerg. Ord.** *P.* 3. *tit.* 20. §. 21. 22. 23. Protocolla utriusque Notarii, iis præſentibus, ſubſcribentibus obſignantur, atque una cum rotulo pariter clauſo cameræ inferuntur, omnes ſub juramento ſilentium monentur. hæc omnia protocollo inſcribi debent. ſi commiſſio extrajudicialiter impetrata fuerit, rotuli non judicialiter, ſed in lectoria reponuntur, & a lectoribus documentum deſuper petitur. nec petenti rotulus a judice conceditur, niſi a judice, coram quo cauſa jam pendet, teſtimonium exhibeat, ſeque rotulo nunc indigere oſtendat, aut quod adverſarius contentus ſit, doceat. jus Palatinum habet: "**und die Kundſchaften, ſamt „den gehaltenen** Protocollen **zu unſerem Hofgericht „über=**

„überschickt, und daselbst verschlossen, bis zu dessen recht-„licher gebührlicher Eröfnung behalten werden„ si a judicio aulico hæc commissio decreta fuit. ubi judex inferior hoc examen peregit, protocolla & rotuli eodem modo conficiuntur & in judicio inferiori asservantur. vid. **die untergerechts Ord.** *tit.* 18. §. 6. *in fin.* nihil circa publicationem jus nostrum statuit; consuetudo & Praxis habet, ut producens lite contestata, probatione imposita vel incumbente publicationem petat. præfigitur huic negotio terminus; citatur adversarius ad videndum publicari; eo licet emanente hic actus non differtur; exempla petentibus non negantur. *cap.* 11. vers *& Omnia* de probationibus. *recess. imper* 1654. §. 54. posse etiam utroque consentiente statim promulgari dicta testium, nil prohibet. Posse quoque judicem, si videat articulos, super quibus testes examinati sunt, causam non probare, publicationem simpliciter negare, a Praxi non omnino alienum est.

XXII.

An & quando & quousque hic rotulus probat?

Exceptiones a personis testium, a dictis, forma & modo si efficaces non desumantur, effata probandi vi pollent, nec examen repeti regulariter potest, ut ut tempore litis contestatæ supersint eloquentes: jurejurando prævie præstito testimonium dixerunt, mentiti aut antea perjuri fuisse non præsumuntur. *cap.* 5. repetitionem cæteris paribus ignorat, modo actor *adversarium intra annum, ex quo conveniri potuerit, vel saltem receptionem hujusmodi denunciaverit illi,* si non, attestationes sic receptæ non valeant *cap. nostri* est decisio & exceptio: *ne forte hoc procuret in fraudem, ut processu temporis exceptiones legitimæ ad repellendum testes, vel aliæ locum ha-*

habere non possent. Summi Pontificis est ratio, quæ utrumque continet casum, partis conventæ contumaciam & absque malitia absentiam, nec igitur restringenda ad casum examinis sine prævia adversarii citatione peracti. id solum addimus, annum hunc hoc sensu esse utilem, ut currere ex eo incipiat, ex quo agi potuit: omnis præscriptio præsumpta derelictione nititur; in eo hæc cessat, qui agere, inculpabiliter non potuit.

XXIII.

Quid si examen quodam defectu laboret? an omnino non probat?

Neque tamen defectus quilibet omnem probationis gradum examini subtrahit. vidimus supra §. 17. testes a Notario sine judicis mandato examinatos, dein mortuos non simpliciter esse rejiciendos. in animo prudentis viri, sinceri judicis possunt pro re nata præsumtionem, & quandoque plenam fidem operari. Hadriani imperatoris verba sunt in *L.* 3. *§.* 2. *ff. de testib.* " quæ argumenta, „ad quem modum probanda cuique rei sufficiant, nullo „certo modo satis definiri potest: sicut non semper, ita „sæpe sine publicis monumentis cujusque rei veritas de„prehenditur, alias numerus testium, alias dignitas & au„thoritas, alias veluti consentiens fama confirmat rei, de „qua quæritur, fidem. hoc ergo solum tibi rescribere pos„sum summatim, non utique ad unam probationis spe„ciem cognitionem statim alligari debere, sed ex senten„tia animi tui te æstimare oportere, quid aut credas, „aut parum probatum tibi opineris" *L.* 13. *ff. de testib.* fidem testium religioni judicantium committit. aliquis levior defectus in examine hoc extraordinario ob fortuitum casum celerrime fors peracto cur omnem auferat fidem?

XXIV.

XXIV.

Reis examen hoc ſive realem, ſive perſonalem actionem olim metuant, ſummus Pontifex innocentius III. *cap.* 41. & 43 *de teſtib.* concedit in rei poteſtate non: eſt quando conveniri velit. Actor forte actionem callide differt, donec inſtrumenta rei viva deleantur. unde I reo ſemper, quin cauſam petendæ commiſſionis, alias ab Authore exprimendam addat, hoc defenſionis futuræ remedium datur. II. in omnibus quoque caſibus quibus actori, etiam, & quidem jure potiore reo examen hoc indubie permittitur. III. Teſtimonia pro reo annali ſpatio non definiuntur, ſed perpetuo probant. IV. imo & ſi reus actionem futuram criminalem ſuſpicetur, ſuaviſſimo practicorum concentu pro futura defenſione, teſtes audiuntur. Quid de Reo?

Quid, ubi reus exceptionem habet, quam per modum actionis proponere poteſt. v. g. non numeratæ pecuniæ, compenſationis? forenſes, quos legere nobis licuit: examen hoc admittunt ad repellendum adverſarium, non vero ad agendum ſatis ſic reo proſpectum. favor defenſioni conceſſus actioni non convenit.

Tibi culpas noſtras fatemur fons miſerationum! judicantium judex omni perfecte Deus! dum contra nos agonizantes teſtabuntur mundus, caro, diabolus, ad immenſam confugimus miſericordiam de infirmitatibus & culpis dolentes, hæc judicet! hæc viſionem tui laborum actuumque noſtrorum unicum finem nobis adjudicet!

COROLLARIA.

1.

Lex ut est promulgata obligat.

2.

Nec expectandi duo mensis tanquam terminus ex quo inchoandæ obligationis.

3.

Unio prolium inter viduum, & puellam subsistere posse, non nego.

4.

Si tamen liberi non supernascantur illa recte a palatinis annulatur.

5.

Metus injustus gravis reddit contractum in se nullum, licet præsumtio generalis pro valore actus militet;

6.

Quod tamen eo limitabis: Ut arbitrium metum passi electionem determinet.

7.

Adeoque nec juramentum, si actui metu extorto accedat, jurantem invitum obligat.

8. Cre-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

8.

Creditor debitori chyrographum reddens reddit debitum.

9.

Non ita in casu: ubi duo constituta, si unum reddatur.

10.

Non usu decem annorum expirat privilegium.

11.

Ubi tamen distinques inter non usum omisivum & negativum.

12.

Causas exhæredationis justas statuit Nov. 115. cap. 3. hinc.

13.

Præter ibi recensitas, alias nisi speciales sub generalibus contentas non admitto.

14.

Emphyteuta debitor triennalis canonis, & hujus, & caducitatis est debitor.

15.

Priorem oblatum dominus sine protestatione dum acceptat, posteriori non videtur renuntiasse.

16. *In*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

16.

In dubio non servitus, sed precarium recte præsumitur.

17.

Damna culpa levissima data vindicat actio L. Aquiliae.

18.

Excipe casus, in quibus natura contractuum a culpæ levissimæ gradu excusat.

19.

Male concludis: per donationem omnium bonorum adimitur testandi facultas, ergo non valet.

20.

Res furtivas apud furem inventas, si de domino furtum passo constet, huic denegare injustum foret.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf